

generosi viri domini *Philippi Vilain* militis consilarii Ducatus Brabantie qui permansit in vocatione sua ac professionem fecit anno sequenti qui domui reliquit satis bona vestimenta de quibus comparavit sibi sua necessaria et expensas tam in vestitione quam in professione, ex quorum pretio empti sunt tres renenses in memoriam anniversarii sui, hic fuit servitor et familiaris domini *Henrici de Bergis* quondam Episcopi Cameracensis.

**I**tem eodem anno ipso die sancte Anne matris virginis Marie fuit hic admissus ad investitionem instantia ac rogatu Domini *Henrici de Bergis* Episcopi Cameracensis qui ore proprio relationem egregiam fecit in Capitulo, dominus *Gabriel Offbuys* religiosus domus sancti Jacobi Frigidi Montis in Bruxella ordinis regularium. In cuius investitione fuerunt Reverendissimi domini Episcopi D. *Franciscus de Busleijden* Archiepiscopus Bisuntinensis, et dominus *Henricus de Bergis* Episcopus Cameracensis, qui anno revoluto professionem fecit, ac domui in pensione vitali reliquit Xxiiii Renenses ac certos redditus vitales sc vi modios bladorum in *Goycke* ac Vi renenses censuales apud *Beerzele* et unum renensem pro memoria anniversarii matris sue. Fuit emissus anno Xxiiii ad domum Delfensem.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> fecit professionem *Petrus Sicheram* qui reliquit ac dedit domui annue Xxxii Renenses supra oppidum Bruxellense et obiit sacrista huius domus anno Xv<sup>c</sup>Ix Xi<sup>a</sup> Martii.

**I**nsuper dedit domui Iii<sup>c</sup> Renenses supra oppidum de restis sibi debitis.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> Tertio ipso die sancte Barbare fuit hic investitus frater *Hubertus de Lacu* et anno revoluto fecit professionem. Iste frater *Hubertus* fuit et est bonus cantor habens tubalem vocem, et artifex multarum rerum et ligator librorum, sed male se rexit et iniit fugam, ipso penitente reconciliatus fuit ordini in domo Argentine et ibi fecit secundario professionem.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> primo Reverendus dominus D. *Henricus de Bergis* Episcopus Cameracensis voluit perficere carceres per patrem *Marcelium* Priorem huius domus inchoatus et desuper voluit ut fieret in prima camera supra carceres ibraria et est domus multum honesta et magnifica in qua quidem domo speraverat residere sed preventus morte in reditu de Hispania diem clausit extremum et ordinaverat pro dicta domo facienda Vi<sup>c</sup> renenses, et nisi obstitisset promotor Cameracensis

dominus *Henricus Alexandri* ordinasset Xii<sup>C</sup> renenses. De qua quidem summa per manus ipsius domini *Henrici* adhuc viventis recepimus Iii<sup>C</sup>Xx renenses et dominus *de Bergis* frater suus anno Xv<sup>C</sup>Xvi dedit pro solutione dicte domus li —<sup>C</sup>, restant adhuc Lxxx renenses sed multo plus exposuimus quam dedit. Et postea dominus *de Masteyn*, dominus *Anthonus* videns ipsam domum imperfectam fecit ibidem fieri vitreas fenestras cum armis ipsius domini ac predecessorem suorum et cum genealogia uxoris sue prout patet oculis intuentium.

**I**tem anno domini Xv<sup>C</sup> emptum fuit unum domistadium cum domibus et horreis superstantibus quantitatis unius iornalis vel circa situm iuxta *Ecclesiam de Berchem*.

**I**nsuper eodem tempore erat emptus erga *Cornelium de Walsche* presentibus *Michaele de Walsche* et *Laurentio de Portere* prolibus suis locus unus retro dictum domistadium dictus *den Steenpoel* quantitatis Quinque iornalium sub censu duarum coronarum, et sub alio censu domini fundi, prout in literis desuper confectis et de aliis hereditatibus et censu inde exeundo in literis plenius continetur. Et quia parum proficimus et lapides pauci ibidem inveniuntur prior *Mathias* anno Xv<sup>C</sup>Xiiii fecit ibidem plantare plantas pro silva futura qui ipsa petia terre mansit inculta et sine perfectu. Et super dictas hereditates insimul dedimus annue *ecclesie de Berchem* duos modios siliginis non redimibiles sed anno domini Xv<sup>C</sup>Xv quitavimus dictos duos modios de consensu Episcopi curati ac rectorum ipsius Ecclesie. Et de prescriptis bonis dedit prenominate prior semel Quinquaginta florenos communes. Item de domo ibidem habemus annue iiii renenses communes.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup> primo venerabilis dominus D. *Valentinus* cantor et tenorista Principis nostri divina gratia inspiratus pro salute sua et amicorum suorum proposuit hic fundare et dotare unam cellam pro qua fundanda et dotanda dedit duabus vicibus simul Iii<sup>C</sup> et XI renenses communes pro quibus petiit comparari redditus vel dequitari ac redimere census quibus bona nostra gravabantur pro sustentatione unius monachi. Petiit tamen ac voluit in istis redditibus emendis vel dequitandis ad vitam suam habere usufructum in quantum eidem placeret. Item anno Xv<sup>C</sup>Xx petiit a priore nostro ut singulis diebus unam missam in privato celebraremus pro cunctis fidelibus defunctis quamdiu viveret et amplius non reciperet et omnes restas dequitavit. Quod conventus pie annuit et celebravit singulis diebus unam

missam ad petitionem ipsius usque ad diem mortis eius. Qui obiit anno domini Xv<sup>c</sup>Xxxxvi Xxvi die Septembris et reliquit nobis in testamento suo Xvi libr os diversorum auctorum. Insuper ordinavit et petiit missam prescriptam pro cunctis fidelibus defunctis continuari a nobis ad spatium trium annorum pro quibus legavit Lxx renenses semel. Et petitionem prior et conventus consensit anno Xv<sup>c</sup>Xxvi Xv die Octobris.

**I**tem anno domini Xv<sup>c</sup> primo emimus a domino *Petro Strote* presbitero tria bonaria silvarum contigua nemori nostro quod dicitur *Dalvenblock* sub censu certo quem dominus Cameracensis inde recipere consuevit et insuper promisimus eidem dare et assignare Octo renenses super omnia bona nostra ad dequitationem denarium pro Xviii renenses, cui dedi anno predicto Xxxvi renenses sic solum habemus solvere eidem Sex renenses

**I**sti duo renenses hic dequitati venerunt nobis a domino *Valentino* superius nominato.

**I**tem alii denarii ipsius domini *Valentini* fuerunt applicati pro redemptione bonorum nostrorum et alleviationem prout omnia habentur in registro ipsius prioris.

**I**tem eodem anno fuit facta domus circa Ecclesiam ad reponendum bladum que domus prius steterat apud *Pee* et erat domus mansionis inferius ibidem que translata apud nos est domus ubi blada recipiuntur a colonis et fuit eodem anno perfecta et multum domui proficua.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> secundo facta est domus te *Halsingen* in qua habitat colonus et stabulum contiguum dicte domui et ibidem plures carpentarii operati sunt et prior *Mathias* ibidem multas exposuit pecunias tam pro domo quam emit quam pro operariis in dicta domo.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> tertio fuit hic sepultus in nostro cemeterio frater ~~*Nicolaus*~~ *Richardus* conversus domus Capelle qui obiit Bruxelle in hospicio nostro inter manus fratris *Joannis de Groote* pro tunc procuratoris huius domus qui eidem administravit sacramenta Ecclesia, venerabile Sacramentum et extremam Unctionem, cuius etiam confessionem audivit. Et venit prior Capelle circa noctem et ipso presente fuit hic sepultus.

**I**tem eodem anno obiit frater *Joannes Pluvier* Xxiii Maii donatus huius domus et professus et fuit cocus istius domus cuius mater dedit huic domui duos petros perpetui census in

Lovanio in vico dicto inde *Acqueleijstraete*. Cuius anima in eterna pace requiescat. Amen.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup> Tertio in die sancti Thome de Aquino obiit frater *Hermannus Coelsmet de Lochem* in patria Gelrie qui fuit Lxxxiiii<sup>or</sup> annorum quando obiit et vixit in ordine circa Lx \_\_\_ annos et fuit primo professus in domo Silve sancti Martini prope Geraldimontem. Obiit virgo et semper valde sollicitus in frequentatione Ecclesie. Unum mirabile accidit circa horam mortis sui fere hora noctis nona quando laboravit in extremis missus est unus fratrum ut convocaret conventum sed antequam omnes convenirent emisit spiritum, et eadem hora noctis et in hñeme fuit circa eius cellam in horto et ambitu circumquaque tanta melodia et cantus avium innumerabilium ita ut omnes audientes timore percussi et admiratione deum laudaverunt et gaudio magno gavisii sunt. Sunt testes istius facti octo tam monachi quam laici qui cantum ipsum audierunt. Item referantur aliqua alia signa miranda de predicto Hermanno que causa brevitatis omitto deo et angelis nota. Rogemus dominum ut similia de nobis referantur et fiant post obitum nostrum.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup> Quarto fuit apud nos sepulta in nostro cemeterio Joanna quondam neptis domini *Petri Fabri* que enutrivit multos in domo nostra nobis relicta per predictum dominum Fabri Capellanum sancti Petri in Anderlaco qui domino in sancta religione militaverunt at et omnia que habuit domui reliquit in obitu suo.

**I**tem eodem anno Tertia Maii fecit prior Mathias cum suo procuratore fr. *Joanne de Grootte* opus laudabile et proficuum sc vivarium dictum et nuncupatum vulgariter *den swerten vivere prope silvam* ibidem sic nominatam quantitatis X iornalia. Perantea idem vivarium erat quedam pascua parum utilis, audivi a veridicis quod vix annue habuissent quatuor renenses quia quando fenum erat aptum ad reponendum in horreis vix equi ire poterant propter inconvenientiam loci quia usque ad ventrem immergebantur in luto ita quod currus nequaquam ibi possent venire. De quo quidem vivario nutriuntur pisces optimi et multum convenit pro vivario. De eodem vivario piscemus annue circa Viii<sup>C</sup> Carpas exceptis multis aliis piscibus et ut idem vivarium haberet sua requisita emimus a quodam milite domino *Henrico Tserraets* tria iornalia prati que etiam versa sunt

in eodem vivario spero quod nostri posterì et successores illud diligenter custodient quia non habemus simile vivarium ~~et~~ quamque multum constitit(*sic*) et multa exponebam ad fodiendum ipsum et perficiendum. Hec scribo ut posterì nostri sciant quantum predecessores nostri laboraverunt et timeant ne eis imputetur quod alii laboraverunt et in labores eorum successerunt.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> Quarto dominus *Bartholomeus* quondam ~~suffraganeus~~ capellanus domini Episcopi Dagnensis et alii executores intelligentes quod idem dominus Suffraganeus haberet in ista domo anniversarium dederunt pro fundatione eiusdem anniversarii Xxx Renenses in memoriam dicti anniversarii eiusdem suffraganei, D. Episcopi Dagnensis suffraganei Episcopi Cameracensis.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> Liii rediit venerabilis dominus *Valentinus* cantor et tenorista illustrissimi Principis de Hispania et tunc fuimus eidem obligati de fundatione celle ac reddituum redemptorum secundum tenorem donationis eiusdem fundationis id est ut deberet uti eadem fundatione et pecuniis ad placitum suum Lvii Renenses de tribus annis elapsis de quibus nihil recepit. Quam quidem summam prescriptam domui dedit ac quitavit in augmentum prebende vel fundatione celle sue aut victu unius monachi.

**I**tem eodem anno dequitavimus censum quem habuit super nos *Joannes Franconis* supra silvam dictam *Faquens Bosch*.

**I**tem eodem anno Xxix Aprilis fecit professionem frater *Jacobus Cooman* de Gandavo qui dedit domui Quadragesima octo libras Grossorum Flandrie pro quibus solvendis accepit pater ipsius terminum Sex annorum sc omni anno solvit octo libras grossorum de qua quidem summa et singulis annis emit pater *Mathias* redditus pro conventu, et ubi iidem redditus sunt empti de anno in annum habetur in registro ipsius prioris et ibidem invenietur. Insuper pater suus sibi providit de vestimentis et aliis necessariis et fecit omnes expensas tam in investitione quam in professione.

**I**tem eodem anno prior cum *Joanne van Obberge* qui exposuerat pecunias(*sic*) ~~suas~~ pro Ecclesia nostra pro et nomine *Joannis Fax* qui semel promiserat dare pro Ecclesia nostra centum libras grossorum Flandrie et fecit fieri lateres pro Ecclesia nostra ipseque *Joannes* omnia exposuit nomine dicti *Joannis Fax*, sed postmodum *Joannes Obberge* petiit omnia que exposuerat pro dicta Ecclesia sibi reddi et restitui, et fecit nos citari coram Officiario cameracensi et processu finito

fecimus ipsum visitare per expertos qui dixerunt quod eramus male fundati et quod amitteremus causam nostram, tandem convenimus cum dicto *Joanne van Obberge* cui promissimus dare centum coronas quas sibi solvimus et dedimus, quia si fuissetis condemnati sicut satis apparuit in triplo plus dedissemus. Deus retribuatur nobis meliorem fortunam et adiutorium quam tunc habuimus.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> Quinto Xxiiii Januarii obiit venerabilis matrona domicella *Maria Coutereau* relicta quondam magistri *Joannis de Grootte* sigilliferi ac presidis Brabantie mater confratris nostri *Joannis de Grootte* que honorifice hic fuit sepulta presentibus nepotibus suis domino *Joanne Coutereau* milite et aliis fratribus suis ac aliis multis que reliquit omnia huic domui et dedit insuper tempore quo filius suus *Joannis de Grootte* fuit procurator huius domus ei dedit diversis vicibus plusquam Iiii<sup>c</sup> renenses quos debuisset applicasse pro dotatione celle sed omnia commisit eidem filio suo qui omnia ad usum et profectum huius domus et necessitatibus eiusdem exposuit. Procuratori fratri *Joanni de Brune* similiter perantea dederat Xxiii renenses ante obitum suum reliquit domui mobilia sua, perantea dederat duo pulcerrima pallia ad summum altare, quibus in festivitibus candelarum utimur ac diversa alia pallia pro nostra Ecclesia. Frequenter misit vinum, pitantias ac multa alia solatia fratribus et dedit insuper pro thuribulo argenteo dedit Xxv renenses. Non sunt omnia scribenda que domui fecit. Rogemus dominum ut sibi retribuatur mercedem eternam quia devote obiit presentibus priore Mathia, filio suo sc fratre *Joanne de Grootte* tunc procuratore, fratre *Adriano Mosselman* procuratore domus Distensis, fratre *Jacobo de Nova Terra* converso eiusdem domus ac tribus fratribus huius domus et sepulta sub marmore quadrato filii sui domini *Karoli de Grootte*, quondam cancellarii Brabantie.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup> Sexto honorabilis virgo dicta *Elizabeth Sriders* de Mechlinia dedit huic domui Ducentos renenses communes ut ex ipsis pecuniis emerentur redditus pro duabus missis omni ebdomada celebrandis in perpetuum in Ecclesia beate virginis vel nostra, de quibus denariis est empta una hereditas apud *Anderlecht* que alias spectabat ad dominum Henricum Huÿgs cum orto, pomerio, pascua, ac alia parva domo contigua. Est etiam alia hereditas empta pro dictis missis. Preterea simus solliciti celebrare easdem missas quia liberaliter dedit dictas pecunias et est virgo sancta et multum famosa Mechlinie quia a magnatis et pluribus honoratur eo quod ministrat pauperibus infirmis et debilibus fere omnia que habet etiam cives

Mechlinienses mittunt sibi pecunias vestimenta cibaria et talia ad ministrandum pauperibus quos omnes noscit et sollicite ministrat, habuit etiam alias fratrem in ordine in domo Antverpiensi cui domui multa dedit donaria tam in pecuniis promptis quam etiam in aliis clinodiis. Etiam semel dedit domui pannum lineum ad faciendum albam pro sacerdote. Multa laudabilia sunt in ea merito laudanda et scribenda que omnia pretereo. Deus dabit unicuique secundum mercedem suam.

**N**ota quod anno Xcv erat empta curtis una · *Bejsberge* erga dominum *de Gaesbeke* in *parrbocia de Leeuwe*, ut puta nemora, prata, terre arabilis prout in registro anni Xiiii<sup>C</sup>Xcv continetur pro una certa summa que bona venerunt ad dominum *de Gaesbeke* ~~et habuit a duce Karolo~~ ex parte illegitimi defuncti de cognatione domine *de Kestergate* et habuit a duce Karolo legitimationem quod amici sui possent succedere in bonis eius. Hac occasione *dna de Kestergate* tamquam proxima via iuris voluit apprehendere bona predicta per nos empta erga dominum *de Gaesbeke* que tantum egit quod dominus *de Gaesbeke* succubuit qui interim posuit errorem. Tandem dominus *de Gaesbeke* et domina *de Kestergate* medio amicorum hoc anno Xv<sup>C</sup>Vi, sic convenerunt. sc Quod dominus *de Gaesbeke* daret domine *de Kestergate* pro iure suo Trecentos Renenses et sic dominus *Ludovicus* et Uxor eius cum prolibus suis cesserunt iuri suo coram Cancellario, et quia ista bona maioris erant valoris quam nos ememus ea, ideo dominus *de Gaesbeke* intendebat conventionem nobiscum factam annihilare et nobis dare denarios per nos expositos sperans tantum recipere de predictis bonis quod sine suo damno posset satisfacere domine *de Kestergate* de prefatis Trecentis Renensibus. Nos igitur videntes quod pretacta bona quiete et sine strepitu possidere nullatenus possidere possemus volentes vitare processum cum domino *de Gaesbeke*, sequentes consilium peritorum, cupientes manere in possessione nostra potius eligimus augere summam primo per nos pro predictis bonis datam quam privari dictis bonis. Hinc est quod preter summam domino *de Gaesbeke* datam dedi adhuc Ii<sup>C</sup> Renenses anno prescripto sc Xv<sup>C</sup>Vi, et postea dicta bona domino *de Gaesbeke* de consensu partium per decretum adiudicata nos per procuratorem eiusdem domini coram dominis de concilio Brabantie iterum predicta bona acceptamus. De ista concordia quomodo ista bona domino *de Gaesbeke* sunt per decretum dominorum de consilio adiudicata et per consequens nobis

est data una magna litera facta que continet concordiam partium pro qua dedit prior magistro *Jacobo Hufcel* (?) secretario Iiii<sup>or</sup> Renenses clericis et advocato circa Tres renenses.

**I**tem nota isti Ii<sup>c</sup> Renenses qui in latere precedenti sunt pro hereditatibus expositi venerunt partim de illis Ii<sup>c</sup> Renenses quos *Elizabeth Sridders* de Mechlinia dedit pro fundatione duarum missarum in Capella sc fere Xc Renenses, et ideo tenemur continuare illas missas, tunc oportebit tantum apponere de pecunia domus quod dicte misse valeant continuari et fieri.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup>Vij Xx<sup>a</sup> Novembris obiit *Lucas de Warenbergh* conversus huius domus et obiit virgo prout mihi retulit et fuit factor ciliciorum et interdum calceorum semper bonus et utilis domui et filius obedientie. Cuius anima requiescat in pace.

**I**tem eodem anno altera Nativitatis bte Marie obiit frater *Joannes Coese* conversus qui fuit vir prudens et omnibus acceptus magnatis et infimis aliqua procuravit et utilis fuit domui. Primo professus domus Distensis in statu donati et postea conversus huius domus fuit missus per visitatores ad domum Campensem, postea missus ad domum Distensem, tandem ad domum istam sc domum professionis sue et hic diem suum clausit extremum et sepultus in nostro cemiterio. Cuius anima cum Deo in eternum quiescat.

**I**tem eodem anno Xx Novembris obiit fr. *Petrus Eeckaert* monachus professus huius domus qui semper fuit religiosus honeste conversationis, bene mortificatus qui contulit domui ex paterna hereditate cum etiam de bonis sue matertere relicte quondam *Petri Wijchman* simul circa Xxxiiii Renenses super diversa bona Bruxelle, supra domos diversas, et obiit devote spiritu sancto ipsum ad eternam gloriam prout speramus comitante.

**I**tem eodem anno fuit hic investitus unus dictus *Joannes Boelaer* filius unius *Huberti Boelaer* aurifabri qui non perseveravit in ordine multum dissolutus, sed postea factus presbyter sancte Gudile in Bruxella ibidem ut intelleximus omnibus odiosus.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup>Vj sed finitis(*sic*) Anno Xv<sup>c</sup>Vij factum fuit



stabulum equorum et vaccarum per quendam dictum Abel qui eum perfecit per Amelricum carpentatorem fuit opus quantum ad artem suam perfectum et per quendam gallicum Willhelmum coopertum cum cellario ibidem facto ac aliis necessariis. Item pro dicto stabulo erant empte quercus et alia ligna diversa et a diversis.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup>Vii (5 Julii, *écrit audessus*) Vii Augusti obiit dominus *Wernerus de Mol* diaconus Ecclesie sancti Petri Anderlectensis qui est hic sepultus in ambitu nostro. Qui reliquit ac dedit domui multa bona. Primo unam domum in Bruxella prope *den Wilden Man* de qua habemus annue Iiii renenses. Item ipso vivente dedit pro expensis suis diversas bonas summas pecuniarum, prout habetur in registro prioris. Insuper post obitum eius habuimus et invenimus ultra Xii<sup>c</sup> renenses in promptis pecuniis. Item reliquit domui restam super oppidum Bruxellensem que bene ascendit ad Ix<sup>c</sup> renenses. A prima die foundationis huius domus non habuimus ab aliquo tam magnam eleemosinam. De quibus pecuniis facta est domus egregia pro nunc refectorium, camera hospitem contigua necnon camere superiores pro hospitem ac fratrum ordinis. Deus reddat illi mercedem eternam et oremus pro eo devote.

**I**tem eodem anno ipso die Valentini fuerunt hic investiti simul et pariter frater *Joannes Meroult* et frater *Egidius Coesel* de Ninive qui ambo ante ingressum ordinis fuerunt submonitores in domo fratrum apud Nazareth in Bruxella et anno sequenti ambo et eadem die fecerunt professionem. Frater Joannes reliquit ac dedit domui primogenita sua, de qua legatione prior *Mathias* recepit anno Xv<sup>c</sup>Xvi Centum Renenses a consobrino ipsius fratris *Joannis* qui duxit in uxorem sororem ipsius. Item idem frater *Joannes* fuit ordinatus sacrista huius domus xv<sup>c</sup>x.

**A**nno Xv<sup>c</sup>Vii post pascha fuit investitus in monachum frater *Antonius Vlesenbeke*.

**I**tem anno Xv<sup>c</sup>Xvi in profesto sancti Hugonis Lincolnensis Episcopi ordinis nostri fuit idem frater *Joannes Meroult* absolutus ab officio sacriste et ordinatus Procurator huius domus, quia eadem die fuit Frater *Joannes de Groot*e qui usque ad illum diem fuerat procurator qui in eodem officio fuit fere per Xx annos modicum minus fuit absolutus et eodem die factus vicarius huius domus. Et *Philippus vander Noot* fuit ordinatus sacrista huius domus et exercuit officium solummodo duos menses.

**I**tem anno XV<sup>C</sup>Xvii Xviii Aprilis fuit predictus *Joannes Meroult* absolutus ab officio procuratoris et canonicè ab omnibus electus in priorem huius domus.

**I**tem eodem die fuit ordinatus procurator huius domus frater *Judocus Fabri* de Alosto qui antea fuerat Vicarius et ante vicariatum fuit sacrista.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Vij circa principium Septembris post obitum venerabilis domini D. *Weneri de Mol* canonici Ecclesie sancti Petri Anderlectensis prior Venerabilis dominus *Mathias* nolens sub modio vel occulto loco thesaurum sibi relictum a domino *Wenero* reponere sed supra candelabrum ut et posteri scirent zelum ipsius, d. prioris considerans quod refectorium in quo circa L. annos religiosi tunc temporis et moderni ruinam comminabatur ut verum fatear quidam religiosi extranei refectionem ibidem capientes timebant ruinam ipsius domus aut refectorii, domum honorabilem et spectabilem construi fecit. Cuius primum lapidem posuit ipse Prior secundum venerabilis prior domus Capelle dominus *Karolus de Lapide*, tertium vero dominus *Anthonus de Masteyn* miles et Baro Hannonie subterpositis bibalibus pro operariis gratiosis. In qua quidem domo pro nunc refectorio venerabiles religiosi conventus gratiose, deum laudantes reficiuntur, non minus orantes pro ipso domino *Wenero* ac aliis manus adiutrices ad dictam domum apponentibus. Coquina quoque a venerabili priore Marcelio perantea constructa correspondent insimul. Ita ut omnes adventantes tam nostri ordinis fautores quam possessores opus laudent.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Viii fecit fieri procurator tunc temporis frater *Joannes de Groot* lavatorium circa coquinam. Et idem ipse composuit ac fecit fieri penum circa coquinam unde multi laudant ipsum opus. Oremus ut posteri nostri vult grati ut eis non imputetur quod alii laboraverunt et ipsi in labores eorum introierunt.

**I**tem anno eodem emit prior a *Willhelmo Peeters* domistadium cum suis pertinentiis situm in parrhokia Anderlectensis pro censu Quatuor Renenses cum dimidio annue solvendo. Et in eodem loco et hereditate idem prior fecit fieri novam curtim ibidem ponendo horreum, novam domum stabula, cellarium sive(*sic*) penu et alia necessaria pro equis ovibus, vacci, porcis, et alia necessaria colonis proficua. De qua quidem curti ignoramus quantum annue inde recipimus quia ad medietatem dedimus ipsa bona ad curtim spectantia omnibus bene computatis et consideratis puto

**Q**uod annue bene valet in siligine alia bona estimata ad siliginem centum modios annue, cetera ibidem exposita habentur in registro prioris tam pro horreo empto *te Bolenbeke* quam in aliis operariis in pecuniis promptis omnia in scriptis sunt redacta.

**I**tem eodem anno convenit idem prior cum *Michaele* et *Wilhelmo* de octo fenestris faciendis in ambitu et perantea fecit operari in eodem ambitu ita quod idem ambitus est perfectus et opus magnificentum et optimum.

**I**tem prenominatus prior fecit laborare prope *Scarenbeke* pro lapidibus inveniendis quos ibidem invenit, de quibus lapidibus sunt multa reparata in isto monasterio et de lapidibus inventis *te Evere* in terra nostra. Unde multas exposuit pecunias et multa edificata.

**I**tem anno XV<sup>C</sup>Viii prenominatus prior fecit mercantiam cum tribus civibus Bruxellensibus qui convenerunt cum uno dicto Petro inde Swane ut extraherent lapides ex hereditate sua *Tinxem*, et quia inceperamus edificare refectorium et etiam ambitum mercantiam ipsorum eodem resignaverunt, et pro bibalibus dedit ipsis semel Sexaginta renenses. Fecit idem prior ibidem fodere pro lapidibus inveniendis, et ibidem invenit bonos lapides et preciosos quamque multas ibidem exposuit pecunias tam pro conductu aquarum et aliis necessariis tamen de ipsis lapidibus fecit fieri et procuravit in vita sua quod ex ipsis factus est ambitus ex petris excisis, et post eius mortem tot lapides sunt facti et excisi quod magnus ambitus ex integro perfici valeat. Quia si ipsum lacum lapidum non habuisset nec ipsam mercantiam fecisset cum supra dictis civibus non puto quod talem ambitum unquam habuissemus quia est opus egregium et magnificentum, nec tale opus est factum nec invenitur in ista provincia. Conferat dominus gratiam ut idem opus perfici valeat, quod incepit D. Karolus de Groote miles, quondam Cancellarius Brabantie ante cellam quam edificare fecit in ipso ambitu et ibidem cum uxore sua ac filia Margareta necnon matre sua sub marmore magno sepultus est, et primum lapidem ipsius ambitus posuit frater Joannes de Groote frater ipsius domini *Karoli* prescripti monachus ac istius domus professus.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Viii altera die sancte Anne venit ad domum istam Cardinalis Sancte Crucis, cui obviam omnes processimus cum cruce et aqua benedicta usque ad arborem fagi que sita est in bivio penes Capellam nostre Domine precesserunt. Juvenes sc novicius portans unam crucem, demum sequebantur donati et conversi cum suis pellicis denique conventus. Portabatque prior ante pectus suum tabulam sancte crucis pulsabaturque campana. Sicque incedentes cum cruce illicoque se vertit eumque insequentes omnes revertebamur priore incipiente te deum laudamus quod et nos insimul prosequendo continuavimus quousque cessare iussi fuimus capellano suo missam legendo. Fueruntque ibi presentes Reverendissimi domini D. *Jacobus de Croj* Episcopus Cameracensis, et d. *Nicolaus de Rutere* Episcopus Atrebatensis et perrexerunt similiter apud *castellum de Dielbeke* in domo ipsius episcopi Cameracensis qui ipsum invitaverat. Deditque perpetuis temporibus bis in anno indulgentiam septem annorum sc in die inventionis sancte Crucis et in exaltatione eiusdem. Omnibusque religiosis barbatis et non barbatis (ita et eadem verba protulit idem cardinalis) a pena et culpa remissionem omnium peccatorum.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Viii Xxii Junii fuit hic investitus et eadem die professionem fecit in statu donatu frater *Joannes Everaert* filius Magistri *Joannis Everaert* cuius mater nominata est *Clara Molenpas*. Iste frater *Joannes* a multo tempore preantea domum istam frequentavit aliquando, mater sua eum interrogavit pluries an hic vellet manere cui satis indignanter respondit quod nullo modo hoc faceret et egre accepit quod quando aliquis de habitu nostro aut aliquam statum vellet accipere interrogarent, nullatenus hoc faceret. Tandem instinctu Spiritus Sancti propria voluntate a nullo informatus aut rogatus sponte et libere petiit statum donatus ordinis nostri. Hoc percipientes parentes eius excepta matre restiterunt ei in quantum poterant, et quidam magister *Jaspar van Overbeke* secretarius Ducisse Sabaudie impetravit literas a dicta domina prohibendo quod nullatenus ipsum *Joannem* reciperemus quod audiens mater ipsius multum dolens convenit cum parentibus suis *Joanne de Kejsere* qui erat filius sororis magistri *Joannis Everaerts* patris fratris nostri, Magistro *Jaspar* et aliis amicis, quibus dedit post obitum eius certa bona hereditaria ad ipsum fratrem *Joannem* spectantis sine scitu et consensu ipsius fratris *Joannis* quia mater non habuit nisi

usufructum tanquam dotatrix prescriptorum bonorum per matrem donatorum. De quibus bonis non modica questio orta est et processus contra dictum *Joannem de Kejsere*, imo nititur nos diffamare et cotidie diffamat coram Cancellario Brabantie ac legislatoribus oppidi Bruxellensis et quia nondum habemus finem ipsius processus ideo non scribemus pro presenti quantum annue habemus de predicto fratre *Joanne*. Tamen legavit coram notario et testibus omnia bona sua huic domui donatione inter vivos et irrevocabili. Primo dedit domui, hospitium dictum *Tyulden Hooft* situm Bruxelle iuxta domum bladorum, et domum contiguam ipsius domus. Item domus cum suis pertinentiis sitam retro dictam domum in vico dicto *de Cattedraete*. Item adhuc alia bona sive redditus sc apud *Ittere prope Nivellem* nemus quantitatis fere *Xij* bonanorium. Item supra oppidum Bruxellense *Viii Ren* enses. Item unam pensionem vitalem ad vitam ipsius supra dictum oppidum. Item ex parte ipsius habemus curtim dictam *te Ytterbroeck* que quidem curtis devenit ad domicellam *Claram Molenpas* ex legatione et donatione *Willhelmi Mesmakers* Secretarii oppidi Bruxellensis tali conditione quod si dicta domicella *Clara* et frater eius *Franco Molenpas* decederunt absque prole legitima(*sic*) tunc eadem curtis deveniret una pars sc ad religiosos sive monasterium dictum *te Gardinet* ea de causa quod idem *Willhelmus Mesmakere* alias habuit ibidem fratrem professum. Secunda pars veniret ad domum *monialium de Florivael* eo quod alias idem *Willhelmus* habuerit ibidem sororem professam. Tertia vero pars veniret ad domum *Gratie* iuxta Bruxellam ordinis Cartusiensis. Nunc ipsa domicella *Clara* reliquit filium unicum heredem predictorum bonorum ea de causa possidemus ipsam curtim. Insuper est notandum quod ipsa domicella *Clara* quitavit *Xvi coronas* que exierunt supra dictam curtim quem quidem censum domui huic dedit et legavit ultra tertiam partem nobis delegata.

**I**tem eadem domicella *Clara* emit denariis suis *X* iornalia terre que applicata sunt et veniunt ~~ad~~ in eadem curti, que *X* iornalia eadem domicella dedit huic domui. Ista scribuntur casu quo eadem curtis deberet dividi in tres partes prout superius scriptum est secundum ordinationem *Willhelmi Mesmakers* prout in literis scabinalibus oppidi Bruxellensis clarius continetur. Tunc cum 3<sup>a</sup> parte nobis ordinata excederet pars nostra in *Xvi coronis et X iornalibus* terre quam portionem plus haberemus virtute testamenti ac legatione predictae domicelle *Clare Molenpas* quam alie partes. Item silentio non est pretereundum quod quandum prenominatus frater *Joannes Everaerts* proposuit relinquere

mundum et fieri miles christi convenerunt Sex de amicis suis ut eum a sancto proposito averterent, tantum fecerunt ut eum extra septa Capelle Gloriose Virginis blandis sermonibus extraherent et ad oppidum ducere volentes quibus contradicentibus acquiescere nolens verbis mellifluis ac inductoriiis unus eorum dictus *Daniel* manus in eum iniecit violentas asserens se esse officarium Domini cuius poterat exercere protestatem, ipsum satis rigore arripuit cum vestimento quo tunc erat indutus Dei adiutorio idem *Daniel* cecidit super terram ipse vero *Ioannes* postmodum frater noster in manibus ipsius reliquit vestimentum et nudus aufugit ab eis, eos diridens quod ipsum nequaquam retinuerant. Ipse frater *Joannes* in suo proposito immobilis ac constans permansit. Tandem die Venerabilis Sacramenti mundum relinquens non veritus animositatem et iniquitatem amicorum habitum in eorum presentia accepit votumque obedientie promisit et stabilis in eodem proposito usque nunc permansit. Infirmittates interim sustinuit et multas patientie coronas lucratus est, eligens potius pati pro Christo quam illecebris huius mundi ipsum inquinari. Qualis autem finis erit processum quos sustinemus in fine canebitur, laus posteris scribenda relinquo quia que scriberem penitus ignoro. Oremus dominum ut unicuique retribuat secundum suam iustitiam et demeritum.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Ix Xxi<sup>a</sup> Maii fecit professionem in statu monachi frater *Anthonus de Vlesenbeke* oriundus de Bruxella cuius parentes de expensis graciose et copiose providerunt tam in vestitione quam professione, de expensis quam vestimentis et aliis necessariis, et singulis annis dedit et procuravit pitantias et alia. Cuius etiam pater valde sollicitus fuit pro domo in multis negotiis et emit ova pro conventu et frequenter exposuit pecunias antequam recepit, in eodem facto et aliis rebus multum proficuus domui. Fuit idem frater *Antonius* ordinatus Sacrista

Anno domini Xv<sup>C</sup>Xvi dominica XI<sup>e</sup> Post mortem patris istius *Anthonii* venerunt domui C. L. renenses communes semel, et pater et mater sepulti sunt in nostro cemeterio. Item *Anthonus* factus est procurator Anno Xv<sup>C</sup>Xxxv. et obiit in officio procuratoris anno Xv<sup>C</sup>Xli in vigilia apostolorum Petri et Pauli. Inventus fuit mane super lectum mortuus nihil antea sciens de infirmitate.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Ix Vi<sup>a</sup> Augusti fuit hic investus frater Firminus Torment de Mechlinia et anno revoluto fecit professionem. Cuius parentes exposuerunt omnes expensas tam vestimentorum

quam aliarum rerum et copiose providerunt de pitantiis et aliis necessariis. Insuper post professionem ipsius fratris *Firmini* dederunt pater et mater priori huius domus Iii<sup>C</sup> Quinquaginta renenses et retinuerunt L renenses pro quibus fecerunt fieri Mechlinie pulputrum ad legendum lectiones et epistolas quod quidem stat in choro cunctis cernentibus sed plus exposuerunt quam L renenses quia plus constitit. Sed pro memoria eterna hoc fieri fecerunt. Propinaverunt frequenter fratribus vinum et prior ac procurator ceterique fratres huius domus dummodo transeunt per Mechliniam ibidem hospitantur et optime et charitative sunt ibidem recepti. Ordinaverunt quoque ipsius parentes quod post eorum obitum medietas bonorum ipsorum veniet ad istam domum tam reddituum quam mobilium tali conditione si ipse frater *Firminus* discederet ab hac luce ante parentes suos tunc non haberemus nisi tantum quantum ordinarent parentes de mobilibus ipsorum. Sed si unus eorum pater aut mater ab hoc seculo discederet ipso fratre nostro vivente tunc haberemus medietatem omnium bonorum secundum tenorem testamenti.

**H**oc anno fecit professionem *Joannes de Bloyere* ad statum donati circa finem Maii qui dedit aliqua bona situata in *parrhoccia de Laken* domine nostre, que postea propter utilitatem domus et propter quitanda aliqua onera huius domus fuerunt vendita uni dicto *Gerardo inden Sack* pro summa Iiii<sup>C</sup> Florenorum. De qua quidem summa et qualia bona pro eadem erant redempta alio in loco lucidius declarabimus.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Ix Xii<sup>a</sup> Novembris fuit hic vestitus frater *Philippus vander Noot* et anno revoluto fecit professionem. In ipsius investitione *Petrus vander Noot* fuit presens et de omnibus egregie et bene providit filio suo sc de vestimentis et ceteris expensis. Anno Xv<sup>C</sup>X<sup>o</sup> obiit idem *Petrus Brugis* post cuius decessum magister *Adolfus vander Noot* consiliarius ducis Brabantie cum priore nostro ac procuratore presentibus Magistro *Antonio Henkenshoot*, magistro *Francone vander Hulst* consiliariis Ducis Brabantie necnon *Karolo Henkenshoot* et *Jacobo vander Heyden* avunculo eius tanquam tutoribus heredum *Petri vander Noot* convenerunt Bruxelle in nostro hospicio sc in hoc. Quod ipse frater *Philippus* haberet annue Xx renenses et unum \_\_\_\_\_ pratum situm te Neerpede qui videlicet annue viii renenses hereditarii census. Insuper habet ipse frater *Philippus* annue ad vitam X renenses supra oppidum Antverpiense. De qua quidem concordia facta sunt litere patentes sigillate, sigillo conventus nostri

f° 82.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>X<sup>O</sup> Maii obiit mater ipsius fratris *Philippi* domicella *Angela vander Heijden* que est sepulta in nostro choro ante summum altare. Cuius anima in eterna pace requiescat.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Xi<sup>O</sup> Xiii Novembris obiit Brugis in domo unius medici dicti M. *Liberal*. *Petrus vander Noot* magnus amicus et fautor ordinis qui semper ordinem nostrum pre ceteris ordinibus habuit in magna recommendatione consilio et auxilio. Huic domui multum profuit presertim in causa de Bergis, pluries cum priore defuncto ivit expensis propriis, tandem in reductione monete multum domui profuit et laboravit ita quod debuissimus dare summam pro nimia receptione domui venerunt ultra Iii<sup>C</sup> renenses et istud fuit approbatum per dominos computorum Bruxelles ac receptoris Lovanii *Adriani de Heelwijt*. Insuper elegit sepulturam in domo Cartusiensi et ea de causa fuit huc evectus de oppido Brugensi et sepultus ante summum altare huius domus, ordinaveratque testamentum suum ut in quacumque domo sepeliretur haberet XI renenses communes et omnibus domibus ordinis istius provincie dedit Duos renenses. Quam quidem summam XI Renensium cum duobus aliis prior domus tunc existens recepit. Multa beneficia domui contulit in vita sua pitantias, vinum et hiis similia. Cetera domui relicta a filio suo *Philippo* in latere precedenti sunt scripta. Oremus semper pro amicis et benefactoribus huius domus.

**I**tem Anno Xv<sup>C</sup>Xi in die sancti Luce Evangeliste obiit frater *Petrus Coperes(sic)* monachus professus huius domus qui diu vixit in innocentia et quamquam sacerdos propter suam innocentiam non celebravit sepultus est in nostro cemeterio. Cuius anima requiescat in pace.

**I**tem anno Xv<sup>C</sup>Xi fuerunt dequitati et redempti a magistro *Judoca de Kejsere* medico, X renenses denarium pro Xv renensibus quos X renenses legaverat ac domui dederat in puram eleemosinam et propter deum *Egidius Vilain* prepositus domus *ter Cameren* extra Bruxellas. Qui *Egidius* pro nunc habet duos fratres sc fratrem *Simonem Vilain* et fratrem *Philippum Vilain* assignatos et impignoratos supra quandam curtim in *parrhoccia de Merchtene*, que quidem curtis et bona spectabant ad *Adrianum Vilain* scutiferum qui eadem bona vendiderat eidem magistro *Judoco de Kejsere* ad duplicem censum post cuius obitum ad quem devenerant dicta bona ipsos X Renenses quitavit de quibus ordinaverat dare ad vitam unius begutte quatuor renenses, sed facta eadem dequitatione aderat eadem begutta presens cui dedimus in promptis